

75
ELEGIA

in qua

NOBILISSIMI ET

PRAESTANTISSIMI

VIRI D. VERNERII A SCHV-

LENBURG, TOTIVS VETERIS MAR-

CHIAE Praefecti, 18. Ianuarij pie defun-

cti, manes inducuntur, omnes eiusdem nobilissi-

mæ & antiquissimæ familiæ personas adhuc

superstites, exequias sibi facientes,

seç deflentes, consolari.

OMNIBVS EIVSDEM FA-

miliæ Reuerendissimis, pietate, nobilitate ge-

neris, doctrina, virtute, auctoritate,

multarumq; rerum cognitione

præcellentibus viris,


dedicata, à

PAVLO PENSCHENO

HELIOPOLITANO.

Anno

M. D. LXXI.



ELEGIA.

INclyta quid nostros gens artus sanguine tangens,
Turbida pectoribus tristia corda geris?
Cur nigrâ prorsus tua corpora veste teguntur,
Et præ se luctum tristiciamq̄ ferunt?
Cur gemebunda simul lacrymarum flumina mittis,
Et cadit ex oculis guttula crebra tuis?
Me, pia, iam propter, sentis sub corde dolorem,
Hæc sunt tristiciæ signaq̄ certa tuæ?
Ab pia stirps fratrum, dulcissima turba sororum,
Quæ patrio mecum sanguine ducta venis.
Tu quoq̄ gens reliqua es nostro quæ nomine dicta,
Extollens nostrum laude fideq̄ genus.
Desine, quæso, tuam luctu sic frangere mentem,
Desine sic oculis damna dedisse tuis.
Hæc nam cura tuum miserè cor comprimit, vrit,
Luminibus vires imminuitq̄ suas.
Ast te tam celebrem quod vis tulit improba Parca,
Nonnè, inquis, fas est, rite dolere tuos?
Osibus ex nostris os es, de sanguine sanguis,
Hinc etiam nostro nomine dictus eras.
Per te igitur dignos sit fas depromere luctus,
Explere & lacrymis saucia corda pijs:
Nam malus est quisquis tali non sorte mouetur,
Nec storgæ in toto corpore mica manet.

A 2

Non

Non adeò humani sum pectoris inscius ipse,
 Nobile præclaro nomine reque genus,
 Prorsus ut ignorem generoso in pectore virtus,
 Quam variè affectus exprimat usque suos.
 Nam mens ut melior, ^{sòs} sic maior in illa est,
 Afficitur proprio sanguine sicque magis.
 Funditus hanc igitur non extirpare laboro,
 Hoc etenim Domini est omnipotentis opus.
 Ast aliquam tantum iuvat applicuisse medelam,
 Luctum quæ minuatur tristitiamque fuget.
 Hoc ergo extremum nostro de sanguine dicti
^{ΜΥΗΜΟΣΥΝΟΡ} mentis percipitote meæ:
 Sic luctus fugient, fugient procul atque dolores,
 Latius & vobis post quoque tempus erit.
P Rincipiò vestras subeat sacra Maxima mentes,
 Hæc vestris animis sitque reposta pijs.
 Non casu nasci, nec casu cedere vita,
 Quos ampli cunctos ambitus orbis habet:
 Ast Domini iussu cunctos hoc nascier orbe,
 Illius & iussu claudere deinde dies.
 Hoc etenim varijs firmant sacra Biblia dictis,
 Exemplis varijs & pia dicta probant.
 Ergo nulla viri vis tanta est, tanta potestas,
 Absque Deo vitam quæ tribuisse queat.
 Inde creaturis non tanta potentia cessit,
 Ut nolente Deo perdere morte queant.

Hinc

Hinc quoq; non artis varia, rerumq; peritus
Ipse Satan vitam restituisse potest:
Nec contra saeuo fas est immittere mortem,
Ut libet, utq; animo perplacet vsq; MALI:
Namq; truci tantum si robur in orbe LEONI
Esset adhuc reliquum, tam quoq; firma manus,
Absq; mora cunctos Adæ de semine natos
Hostis ad infernas præcipitaret aquas:
Mille nocendi artes, sunt millia plaustra malorum,
Quis posset miseros perdere in orbe viros.
Fortibus ast saeuum Domini manus vsq; Draconem
Constringit vinclis, & mala sceptrâ premit.
Gens omnis primi de semine nata parentis,
Hoc Domini auxilium sentit ubiq; sui:
Inprimis Christi pia gens de nomine dicta,
Præsentem Dominum noscit in orbe suum.
Huic igitur pestis vis improba nulla nocebit,
Corpora prosternens nil quoq; triste malum:
Niletiam saeu vis lædens corpora ferri,
Nil ignis subito pectora sana petens.
Deniq; non vlli morborum perdere iustum
Ni Domini iubeant prouida iussa, licet.
Namq; pio nullus crinis tenuisue capillus
Absq; Dei nutu forte perire potest:
Tanta igitur poterunt qui vitam ledere damna,
Celsi si nolint iussa benigna patris?

A 3

Contra

Contrà commissæ rursum cum munera vitæ
 Qui dedit, hæc tandem reddere membra iubet,
 Ars ibi non medici, non maxima cura Galeni
 Quem Dominus repetit fortè tenere potest.
 Namq; hunc qui ferrum fortis tolerabat, & æstum,
 Incensum miserè pustula parua necat.
 Sic vitam Dominus largitur, eamq; requirit,
 Illius vt patriæ curæ animoq; placet.
 His ego confidens mihi nec sine numine morbos
 Omnino statui posse nocere malos:
 Ac quamuis varij vexarent membra dolores,
 Non tamen hos vitæ jura tenere meæ:
 Seu mihi sana daret Dominus, seu saucia membra
 Hæc patriæ, dixi, sunt bonitatis opus.
 Hæc quoq; spes tandem surgebat pectore, Parcæ
 Cum vellent vitæ fila secare meæ.
 Hinc placidè potui cunctos tolerare dolores,
 Hinc potuiq; æstus exuperare malos:
 Namq; quis æthereo promptus parère parenti,
 Illius atq; crucem sustinuisse neget?
 Illius ex patriæ bonitate accepimus ipsi,
 Omnia quæ mundus vel bona summa putat,
 Et genus & formam, magnorum nomina auorum,
 Diuitias, vitæ perpetuumq; decus:
 Cur mala non igitur prompti amplexabimur, atq;
 Queremus fortes auxiliantis opem:

Illis

Illis en fruimur per vitam largiter omnem, c c
 Hæc paruo spacio sunt toleranda modò: c c
 Illa crebrò instimulant ad turpia crimina mentes, c c
 Acribus hæc stimulis turpia quæq; fugant: c c
 Illa crebrò in cautos vitæ de tramite ducunt, c c
 Hæcce viam vitæ quærere sæpè iubent. c c
 En fuit hæc vitæ radix, qua pressa doloris
 Pestiferiq; ignis vis superata fuit.
 Qua potui instructus morborum tollere morsus,
 Lætus & æthereas scandere spontè domus.
 Hanc quoq; radicem nostro de stemmate natis
 Tristia pellentem linquere corde placet.
 Hæc igitur vestri sint pharmaca prima doloris,
 Hæc mitigent quicquid pectora vestra grauat.
ALtera subiungam quoq; nunc recreantia mentem
 Pharmaca, quæ quiduis vincere triste valent,
 Næc fines mortis referunt, & commoda secum
 Quæ benè defunctis fert sine fraude docent.
 Est ergò toto nil mundo certius vsquam
 Quod gens sic statuatur relligiosa simul:
 Quotquot vitales his terris carpimus auras,
 Sarcina peccati nos sine fine premit:
 Hæc non membra modò quæ lumina nostra tuentur,
 Ast etiam cordis condita quæq; grauant.
 Hinc igitur grauiter crebrò suspiria ducit,
 Hinc tristis vultus, mens grauis atq; venit.

Præterea Satanae genus in mortale potestas,
Dum vivit terris, ob malefacta manet.
Hic flagrans odijs, ira æstuat atq; furore
Vi Leo, pestiferis insidijsq; Draco:
Ut lupus assidua miseros malè perdere fraude
Agnos incumbit sæpeq; dilacerat?
Sic inbiat semper nostræ malus ille salutis,
Et miserè captos frangere dente cupit.
Hic sibi perpetuo coniunxit fœdere Mundum,
Vi varia instructum, fraudibus atq; parem.
Huic sola est Satanae bene perfecisse voluptas
Iussa, & grassantis pessima facta sequi.
Perdere nunc animas mendaci dogmate tentat,
Perdere nunc gladijs corpora nostra cupit:
En falsis igitur doctoribus omnia complet,
Hostibus en varijs dogmata sana premit.
Tandem sunt morbi varij, sunt damnaq; multa,
Quis non sperantes afficit vsq; viros:
Mox caput affligit, mox fortia brachia tentat,
Tentat & inde manus, tentat & inde pedes.
Deniq; non cunctis minima est vel portio membris,
Non hic versutus cui dare damna queat.
Præmia postremò sunt criminis vsq; timenda,
Et certa est cunctis mors metuenda viris.
Nemo tam celeris pede tam quoq; fortis in armis,
Hanc cursu & bello quò superare queat.

Omnes

Omnes insequitur, telis quoq; conficit omnes, ,,
 Quotquot de patrio semine membra trabunt, ,,
Quodq; mali caput est incerta est hora, modusq; ,,
 Quo finem vitæ claudere fata volunt, ,,
Hæc mala dum misera mundi sub lege tenemur
 Maxima circumstant corpora nostra simul:
Hinc dolor assiduus, lacrymæ, luctusq; metusq;
 Hinc quicquid miseris officit omne fluit:
Ast his accelerans mors vltima linea vitæ
 Liberat, his cunctos eripit atq; pios.
Nam neq; peccatum, neq; vis Cacodæmonis atri,
 Non dolor & luctus mortua membra premunt.
Non etiam variam Satanae mendacia mentem
 Fallunt, non membris tela inimica nocent.
Deniq; cunctorum vis hinc prostrata malorum est, ,,
 Nescit defunctis & nocuisse pijs, ,,
Hoc quoq; commissa perfunctus munere vitæ,
 En ego perpetua commoditate fruor.
Hinc placidè vt cessi, placidè sic membra quiescunt,
 Spiritus æthereas possidet atq; domus.
Hic Domini faciem video, bona cuncta polorum
 Contueor, cæli læticiaq; fruor.
Guttula quàm parua est, ponti si flumina spectes,
 Collata æthereis sic bona vestra putes.
Nam quæ per totam percepi gaudia vitam,
 Temporis hæc puncto sydera cuncta ferunt.

Si

Si quis sponte daret mundus quod possidet aurum,
Quos quoque thesauros maximus orbis habet:
Non tamen has sedes, non gaudia tanta piorum,
Mens esset puncto deseruisse breui.
Hoc pauci terris statuunt, & pectore credunt,
Hinc quoque difficiles caelica regna petunt.
Quae cum sancta mihi sponderent Biblia dictis,
Cum Lethum instaret talia verba dabam:
,, Sydera rumpe Deus, me suscipe Christe redemptor,
,, Has terras odi, diligo Christe polos,
,, Ex tristi cupio peccati carcere solui,
,, Liber ad aethereas iamque redire domus.
Sic fatus, facilis Deus omnia percipit aure,
Et promptus confert quae bona cumque peto.
Nam mox dissoluens cum membris foedera vitae,
Me ciuem celsis sedibus inde facit.
Hic fruor aetherei plenè bonitate parentis,
Hanc verè sanctis assidueque precor.
Nobile quapropter nostro gens nomine dicta,
Hae bona cognoscens ne, precor, inuideas.
Quin potius gratum summo te siste parenti,
Et vera illius munera nosce, rogo.
Invidia & speciem praese cum ferre videtur
Sic quae per malas guttula crebra fluit.
Mitte graues curas, nimioque absiste dolore,
Quaeque fluunt lacrymas sistito, cara, tuas.

Plura

Plura quidem possent varios pellentia luctus,
Addi, sed rursus nos pia regna vocant.
Ergo vos curæ cunctos iam trado potentis,
Qui terram facilis qui regit astra simul.
Post exantlatos qui duros orbe labores,
Ætherea faciat vos bonitate frui.

FINIS.

Plura quidem p[ro]feruntur v[er]ba
Adh[uc] sed rurs[us] non p[ro]p[ri]a v[er]ba
Ergo v[er]ba v[er]ba v[er]ba v[er]ba v[er]ba
Qui v[er]ba v[er]ba v[er]ba v[er]ba v[er]ba
Post exant[er]ior[um] v[er]ba v[er]ba v[er]ba
Athen[ens]is v[er]ba v[er]ba v[er]ba

F I N I S



60,



09.000101



1093
v



AB 155 199

ULB Halle
004 841 417

3



TA 70L

09.2007 Bd.







15

ELEGIA
in qua

NOBILISSIMI ET
PRAESTANTISSIMI
VIRI D. VVERNERI A SCHV-
LENBURG, TOTIVS VETERIS MAR-
chiaë Præfecti, 18. Ianuarij piè defun-
cti, manes inducuntur, omnes eiusdem nobilissi-
mæ & antiquissimæ familiæ personas adhuc
superstites, exequias sibi facientes,
scq; deflentes, consolari.

OMNIBVS EIVSDEM FA-
miliæ Reuerendissimis, pietate, nobilitate ge-
neris, doctrina, virtute, auctoritate,
multarumq; rerum cognitione
præcellentibus viris,
dedicata, à

PAVLO PENSCHENO
HELIOPOLITANO.

Anno
M. D. LXX XI.

